

Secundo, an ex adoptione contrahatur impedimentum matrimonii, et inter quas personas, et quid sit adoptio, de quo hic q. ii. Tertio, an secundæ nuptiæ sint licitæ, et sint Sacramentum, de quo q. iii.

DISTINCTIO XLIII.

Ab hac distinctione incipit ultima pars hujus libri, in qua agitur de resurrectione futura, et remuneratione per eam facienda. Et hoc tali ordine tractat, quod in hac distinctione agit de ipsa resurrectione secundum se, et quoad substantiam, in sequenti de quantitate resurgentium. De remuneratione vero agit a distinctione XLV. Primo quidem de remuneratione ante diem iudicii, et locis ubi animæ sunt distinctione XLV, et quia hæc remuneratio fit per iustitiam, et misericordiam Dei, agit de illis distinctione XLVI, de remuneratione vero post diem iudicii agit sequenti distinctione. Primo, de ipso iudicio distinctione XXVII. Secundo, de forma iudicis venientis distinctione XLVII. Tertio, de remuneratione gloriæ sanctorum distinctione XLIX, de pœnis vero impiorum distinctione L.

Igitur in præsentī distinctione XLV, tria facit. Primo, explicat articulum resurrectionis. Secundo, quasdam difficultates movet circa causam, et circumstantias resurrectionis. Tertio, circa ipsas personas resurgentes alias difficultates explicat.

Circa primum, articulus resurrectionis scilicet, quod omnes homines resurgant, constat ex Scriptura, ut Isai. xxvi : *Resurgent mortui tui*, et i, ad Corinth. xv : *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, etc.*

Circa secundum, duo docet circa causam resurrectionis, et circa tem-

poris circumstantiam. Causa resurrectionis dicitur futura illa vox, seu tuba Archangeli, quæ præcedet iudicem, et excitabit omnes, de qua dicitur in Psalm. lxxvii : *Dabit vocem suam vocem virtutis*, et Joan. v : *Venit hora quando omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*. Et vox hæc dicitur Christi, et dicitur Angeli, quia mediante Angelo a Christo imperabitur. Dicitur etiam clamor, qui media nocte fiet. Quæ temporis circumstantia non ponitur nisi ut denotetur, quod adventus ille erit insperatus, et occultus sicut nox, licet aliqui ut Cassiodorus etiam media nocte dicant Christum venturum sicut primogenita Ægypti, illa hora mortua sunt. Dicitur etiam dies Domini, non pro qualitate temporis, sed rerum tunc agendarum. Dicuntur libri aperiendi, id est, conscientiæ singulorum, quæ tunc illuminabuntur.

Circa tertium, inquit primo, an electi habebunt tunc patentem memoriam malorum sicut et honorum. Respondetur aliquos existimare, quod malorum obliviscuntur, ut indicare videntur aliqua loca Scripturæ : sed melius est, ut recordentur eorum licet non cum molestia, sed ut inde eluceat magis Dei misericordia, quæ a malis eos eruit. Peccata tamen electorum per pœnitentiam deleta, rationabile est, quod tunc non manifestabuntur. Secundo, inquit de illis, qui in illo tempore vivi reperientur, an sint morituri. Respondetur aliquos sentire illos tunc morituros, et mira celeritate resurrecturos, quia ut dicit Apostolus : *Quod seminatur non vivificatur nisi prius moriatur*, et sic videntur sentire Augustinus et Ambrosius. At vero Hieronymus censet illos non morituros, sed vivos ad Christum rapiendos in immortalitatem. Et sic intelligitur Christus iudex vivorum, et mortuorum, vel vivorum,

qui tunc non morientur, vel vivi, ac mortui sunt iusti, et iniusti. Tertio, quærit quomodo omnes resurgent incorrupti. Respondetur quod non omnes erunt impassibiles, reprobi enim patientur, sed omnes integri resurgent, nec amplius morientur.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an resurrectio sit futura, et an sit naturalis, de quo hic q. i, art. i. Secundo, an resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis, et an instrumentalis, de quo hic art. ii et viii p. qu. lvi, art. i et ii. Tertio, utrum omnes moriantur ita, quod terminus a quo resurrectionis sit mors, de quo hic q. i, art. iv. Quarto, inquit de tempore resurrectionis, an erit occultum, an circa mediam noctem, an subito, de quo hic art. iii. Quinto, an omnes cognoscent peccata, quæ fecerunt, etiam aliorum, de quo hic, art. v.

DISTINCTIO XLIV.

Agit de qualitatibus resurgentium. Et facit quatuor. Primo, tractat conditiones resurgentium in communi. Secundo, de qualitatibus beatorum. Tertio, de qualitatibus damnatorum, et eorum cruciatu per ignem etiam in spiritu. Quarto, de abortivis quomodo resurgent.

Circa primum, duo docet. Primo, quod omnes resurgent in ætate simili ætati Christi, id est, circiter triginta annorum, sed non omnes in simili statura, constat hoc ex Apostolo dicente : *Donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ubi non ait in mensuram staturæ, vel corporis, sed ætatis, ut ponderat Augustinus, unusquisque enim sui corporis mensuram recipiet, alioquin de aliquibus magnis corporibus multum deberet perire, cum nec

capillus de capite peribit ut Dominus ait. Nec Deo perit aliqua materia, sed in quascumque formas vertatur, rursus reparabitur in resurrectione, et animabitur ab anima, nec tamen attingebit ad ejus reintegrationem, quod hæc pars redeat ad illam partem, v. g. capillus ad capillum, unguis ad unguem, sufficit quod totum restauretur curante providentia Dei ne aliquid indecens fiat.

Circa secundum, subdit ex eodem Augustino quod corpora electorum resurgent sine ullo vitio, sine ulla deformitate, corruptione, onere, aut difficultate in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit, propter quod et spiritualia dicta sunt cum procul dubio corpora sint futura.

Circa tertium, quod attinet ad deformitates corporum damnatorum Augustinus non definit, an cum illis resurgent, nec fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, sempiternaque damnatio. Quod vero attinet ad cruciatum, dicit corpora tunc arsura, et consumenda, sicut anima nunc in corpore pati potest dolorem, sed non mortem. An vero etiam spiritus dæmonum igne corporeo torqueantur, respondet Augustinus torqueri miris, sed veris modis, sicut etiam anima nostra cum spiritualis sit potuit corporeis membris includi atque alligari. Animæ similiter separatæ materiali igne nunc cremantur, ut Julianus Toletanus docet, sicut enim viventis hominis anima tenetur in corpore, cur non poterit separata teneri ab igne, cum ab illo animam divitis cruciari veritas ipsa dicat. Cassianus etiam dicit non esse ibi animas otiosas, neque nihil sentire, cum dives ille in flamma se cruciari clamaret. Non ergo privantur animæ suis sensibus, vel effectibus.

Circa quartum, docet ex Augusti-

no foetus jam formatos et animatos in utero si ibi moriantur resurrecturos, quia humanam naturam habuerunt: « Resurgent et monstra, sed correcta, emendataque eorum natura. Quæ ergo nimia deformitate monstra dicuntur ad humanæ naturæ figuram resurrectione revocabuntur. »

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an idem corpus, et idem homo resurget, de quo hic q. 1, art. 1. Secundo, quæ partes resurgent in homine et quæ non resurgent, de quo late hic, art. 11. Tertio, an omnes resurgent in eadem ætate, statura, sexu, officiis vegetativæ, etc. de quo art. 11. Quarto, inquit de dotibus corporis gloriosi claritate, impassibilitate, subtilitate, agilitate, quando convenient illis corporibus, et in quo consistent, agit latissime tota q. 11. Quinto, quærit de corporibus damnatis an resurgent deformia, an impassibilia et corruptibilia, de quo qu. 11, art. 1. Sexto, an cruciabuntur ab igne corporeo, et ubi sit infernus, de quo art. 11. Septimo, an in anima separata maneant sensus, et quomodo ab igne corporeo pati possit, de quo ibi art. 11.

DISTINCTIO XLV.

Incipit agere de his quæ pertinent ad renumerationem bonorum, et malorum. Et primo, de illa, quam habent ante diem iudicii. Et dividitur in tres partes. In prima, agit de receptaculis animarum hinc emigrantium et de suffragiis quibus juvari possunt. Secundo, duas difficultates solvit. Tertio, quomodo sancti audiant preces nostras determinat.

Circa primum, docet ex Augustino in enchiridio animas ante ultimam resurrectionem aliquibus re-

ceptaculis contineri prout unaquæque digna est pœna, vel requie. Juvari etiam suffragiis Ecclesiæ non tamen omnes, sed illæ quæ dum viverent hoc meruerunt, ut sibi ista prodessent, est enim aliquis status, ita bonus ut suffragiis non egeat sicut animæ beatæ, et alius ita malus, ut non possit illis relevari, scilicet in inferno, est alius medius, qui illis relevatur, scilicet quæ sunt in purgatorio. Pompa autem funeris, ut sumptus exequiarum solatia vivorum sunt, non adjuncta mortuorum, sed oblationes, et orationes adjuvant spiritus illos.

Circa secundum, inquit quis magis juvetur in alia vita, dives pro quo fiunt hic largæ eleemosynæ et orationes speciales, an pauper pro quo solum fiunt communes. Respondetur posse dici, vel quod illa generalia suffragia idem prosunt, quod specialia, sed hæc pluribus titulis, vel absolute plus diviti profuisse specialia, quam pauperi generalia. Secundo, quærit quomodo illi qui ultimo die sæculi migrabunt ad purgatorium, et indigebunt istis suffragiis salvabuntur sine illis. Respondetur quod salvabuntur per ignem, et intercessionem cœlestis Ecclesiæ.

Circa tertium, docet sanctos Angelos cognoscere per Verbum Dei vota, et orationes nostras. Illis autem utitur Deus tamquam nuntiis non ut per eos cognitionem accipiat qui omnia novit, sed ut per eos ministrentur, quæ Deus ordinat; et dicitur Angelus offerre Deo orationes nostras non ut ipsi innotescant, sed ut pro nobis petat, æternam vitam. Similiter animæ sanctorum in ipsa Dei veritate, quam contemplantur intelligunt orationes nostras, et intercedunt pro nobis tum merito suo tum affectu, quod tamen non faciunt, nisi in Dei voluntate implenda didicerint.

Circa hanc distinctionem, inquit

rit primo D. Thomas de receptaculis animarum, an dentur, et quot sunt; an inde egredi valeant, de quibus agit hic q. 1, ar. 1 et 11, et præsertim de limbo patrum a. 11. Secundo, inquit de suffragiis, an mortui juventur operibus vivorum, an prosint si per peccatores fiant, quibus prosint, et quantum prosint, ubi de indulgentiis quantum valeant. Denique, an facta pro multis valeant tantum pro singulis, et utrum communia suffragia valeant sicut specialia, de quibus hic q. 11. Denique, quomodo sancti cognoscant nostras orationes, et an semper exaudiantur agit q. 11.

DISTINCTIO XLVI.

Agit de justitia, et misericordia Dei occasione difficultatis cujusdam circa reprobos. Et facit tria. Primo, proponit quæstionem, an reprobi aliquam mitigationem pœnarum sentiant ex Dei misericordia, et determinat eam. Secundo, agit de ipsa misericordia, et justitia Dei. Tertio, explicat quomodo omnes viæ ejus sint misericordia, et veritas.

Circa primum, quidam dicunt nullam mitigationem in damnatis futuram eo quod dicitur Jacobi 11: *Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam*, et Augustinus dicit: « Misericordia hic, iudicium in futuro: » et iterum: « Erga sanctos omnes viæ Dei misericordia, erga iniquos omnes, veritas. » Et contra, alii dicunt mitigationem aliquam pœnarum fore in damnatis ex Cassiodoro super Psal. c, ubi inquit etiam in punitione malorum non esse iudicium sine misericordia, Augustinus quoque in enchiridio, c. xi non improbat aliquam mitigationem pœne fore in damnatis certis temporibus dummodo nunquam finiatur. Unde quod dicitur

iudicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam, intelligi potest sine misericordia liberante, non aliquo modo alleviante. Et quod dicitur iudicium in futuro, misericordia hic, intelligitur de misericordia vocante, et justificante, quæ ibi non erit, et de iudicio aperto, quod ibi erit, hic autem solum est occultum.

Circa secundum, inquit quomodo Cassiodorus dixerit justitiam, et misericordiam Dei esse duas res, si quidem non est aliud in Deo esse misericordem, quam justum, sed eadem essentia in Deo est. Respondetur hoc dictum non probari diversitate rerum, sed effectuum, et sensuum, aliis enim effectibus manifestatur justitia Dei, aliis misericordia, et e contra, utrumque tamen ex parte Dei, est eadem essentia. Quod autem quædam opera attribuantur justitiæ, quædam misericordię, quædam bonitati ostendit Augustinus quia misericordia liberat a miseria, bonitas facit bona, etiam si non sint misera, indigent enim etiam felicia Deo gubernante, misera etiam liberante.

Circa tertium, docet intelligi, quod universæ viæ Domini sunt veritas, et misericordia, vel juxta Augustinum de duplici adventu Domini, in uno etiam misericordiam exhibuit, in alio justitiam, vel quia per justitiam declinamus a malo, per misericordiam facimus bonum, vel quia nullum est opus Dei in quo aliquid justitiæ, et aliquid misericordię non eluceat, licet magis in aliquibus resplendeat justitia, in aliis magis misericordia, et e contra: licet aliqui fateantur ex parte effectus non ita in omni opere Dei esse justitiam, et misericordiam, sed solum ex parte Dei efficientis.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an in Deo sit

justitia; an commutativa, vel distributiva, de quo 1 p. q. XXI, et an justitia in Deo sit idem, quod veritas. Secundo, an juste inferatur peccatoribus pœna æterna, de quo 1-2 q. LXXXVII, art. III. Tertio, utrum in Deo sit misericordia, et an distinguatur a bonitate, de quo 1 p. q. XXI, a. III. Quarto, an in omni opere Dei sit misericordia, et justitia, et quid sit principalius, de quo etiam 1 p. q. XXI, art. IV. Quinto, an pœna dæmonum, vel damnatorum aliquando finienda sit, vel relevanda, de quo etiam 1 p. q. LXIV, ar. III.

DISTINCTIO XLVII.

Agere incipit de remuneratione post diem judicii, et ideo primo, agit de ipso judicio in hac distinctione et de ipso iudice in sequenti. In hac ergo facit tria. In primo, tractat de ipso judicio. In secundo, de ordinibus judicandorum. In tertio, de ministerio Angelorum et potestate dæmonum post judicium.

Circa primum, aliqui putant verba illa judicii: *Venite benedicti, etc. Esurivi enim, etc.* facienda potius testificatione conscientie singulorum, quam iudicis verbis, in ictu enim oculi faciendum iudicium dicitur. Alii hoc referunt ad resurrectionem, iudicium vero tempore aliquo, et verbis exprimendum dicunt. Iudicabit autem, et Christus, et sancti quibus potestas iudiciaria danda est scilicet perfectis viris: qualis vero potestas futura sit nescitur.

Circa secundum, docet quatuor futuros ordines, seu classes iudicandorum. Quidam non iudicantur, et pereunt scilicet qui fidem non habuerunt, qui enim non credit jam iudicatus est. Quidam iudicantur, et pereunt, scilicet qui habuerunt

fidem, sed non opera. Et contra quidam non iudicantur, et regnant scilicet viri perfecti. Quidam iudicantur, et salvantur scilicet qui post peccata pœnitentiam egerunt, et ita primi erunt, ut iudices, et senatores, ideoque recte pauperibus attribuitur iudicandi potestas, quia perfecte omnia reliquerunt.

Circa tertium, explicat ministerium Angelorum in purgatione mundi, deinde ministerium dæmonum in inferno. Ministerium quidem Angelorum significatur, tum quia mittentur cum tuba, tum quia colligent cineres, tum quia separabunt malos de medio iustorum. Veniente autem Domino tota terra igni comburetur, qui ita excrescet, ut ascendat usque ad mediam aeris regionem, quo ascenderunt et aquæ diluvii, et purgabit bonos, consumet autem malos, tunc autem fiet illa vox tubæ qua omnes excitabuntur colligentibus Angelis cineres, et ab eisdem mittentur mali in caminum ignis. Potestas vero dæmonum ad cruciandos homines ab aliquibus dicitur tunc evacuanda, cum Christus evacuaverit omnem principatum, et potestatem, ut dicit Apostolus et sic dicunt reprobos cruciandos virtute divina. Alii vero dicunt dæmones, tunc manere ut tortores, licet sine principatu nisi solum ad torquendum.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, utrum generale iudicium sit futurum, an faciendum per locutionem vocalem, et quo tempore, de quo etiam 1 p. q. LIX, a. V. Secundo, an aliqui homines cum Christo iudicabunt, et qui, de quo hic q. I, ar. II. Tertio, an omnes homines iudicabuntur, an etiam Angeli, de quo hic ar. III. Quarto, an purgatio mundi sit futura per ignem, de quo hic q. II, ar. I. Quinto, quæ loca purgabit ille ignis, an elementa; an cœlos; an

paradisum, de quo ibi a. II. Denique, quos effectus habebit ille ignis in hominibus, de quo ar. III.

DISTINCTIO XLVIII.

Agit de his, quæ pertinent ad iudicem. Et tria facit. Primo, explicat in qua forma apparebit iudex. Secundo, in quo loco fiet iudicium. Tertio, qualiter luminaria manebunt post iudicium.

Circa primum, docet Christum non in forma divinitatis, sed in forma servi iudicaturum in qua videbitur ab impiis, non tamen in forma passibili, sed gloriosa, ut ait Augustinus. Et dicitur Pater omne iudicium dare Filio, non quod Pater etiam non iudicet, sed quia id quod apparebit in iudicio erit Filius hominis in maiestate multa. Et similiter in forma hominis suscitaturus mortuos, licet id fiat virtute divina sed dicitur specialiter in forma hominis, quia in ea suscepit passionem, et resurrectionem per quam causabit resurrectionem nostram, et per quam meruit illam.

Circa secundum, docet quod aliqui existimant Dominum descensurum ad iudicium in vallem Josaphat, qui est ex latere montis Oliveti. Sed tamen Dominus non in vallem descendet, sed in aere manebit contra montem Oliveti, unde et ascendit. Dicitur autem, quod congregabit omnes gentes in vallem Josaphat, hoc est in vallem iudicii, in quo damnabuntur impii.

Circa tertium, ostendit tria dici de luminaribus cœli. Primum, quod obscurabuntur, non quidem sui luminis privatione, sed majoris luminis, id est, Christi claritate. Secundo, quod patientur eclipsim ante diem iudicii, convertetur enim sol in tenebras, et luna in sanguinem. Tertio, quod post diem iudicii erit lux

lunæ, sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter, id est, vel juxta lumen, quod habuit primis septem diebus mundi ante peccatum, quia per illud minoratum fuit, ut quidam dicunt, vel quia crescet lux solis, et non amplius habebit ortum, et occasum, sed stabit permanenter. Dicitur autem, quod tunc non erit sol ad lucendum scilicet in æterna beatitudine, non tamen cessabit lucere pro hac regione inferiori.

Circa hanc distinctionem, inquit D. Thomas, an Christus in forma hominis sit iudicaturus, et an in forma gloriosa, de quo etiam 1 p. q. LIX, ar. II. Secundo, quæ signa præcedent iudicium, et quo loco fiet, de quo hic q. I, ar. IV. Tertio, utrum mundus renovabitur; an recipiendo majorem claritatem in cœlis; an etiam in elementis; an cessabit motus cœli; an omnia mixta desinent esse, de quo hic q. II, per totam.

DISTINCTIO XLIX.

In hac distinctione agit de remuneratione honorum post diem iudicii. Et circa hoc tria facit. Primo, supponendo beatitudinem habere diversos gradus, agit de beatitudine in communi. Secundo, de disparitate cognitionis, et gaudii de Deo. Tertio, an sit futura major gloria sanctorum post iudicium, quam ante.

Circa primum, præmittit post iudicium electos in felicitate æterna, reprobos in æterna miseria permanuros, sed alii aliis differentius erunt beati, vel puniti, nam et in domo Patris multæ mansiones sunt licet domus sit una, et denarius unus, id est, unius Dei visio, sed alii aliis plenius, et perfectius fruuntur. Quo præmisso, inquit circa beatitudi-

nem in communi, an omnes velint esse beati. Et ex Augustino respondetur mirum esse quomodo omnes velint beate vivere, et tam discordes sint sunt in scienda beatitudine, multi enim non volunt vivere beate ubi est vera beatitudo, id est, vivere secundum virtutem, et tamen beate vivere volunt. Et post multam disputationem concludit omnes velle beate vivere quantum ad hanc beatitudinis conditionem, quæ est vivere, ut vult, non tamen quantum ad aliam conditionem, quæ est carere omni malo, quia non inveniunt bonum illud carens omni malo in quo vivat quisque sicut vult, inveniatur autem in alia vita in fruitione summi boni, ubi non volet quis male vivere, nec deerit aliquid quod volet.

Circa secundum, inquit primo, an quidquid cognoscitur, magis beatus cognoscat, et minus beatus. Respondetur cognoscere omnes Deum, qui est bonum faciens beatos, sed in modo different, quia unus alio perfectius cognoscat. Secundo, inquit an sint dispares in gaudio sicut in claritate cognitionis. Respondetur ex Augustino quod erit par gaudium cum dispari claritate cognitionis: nam quidquid unus possidet, alius de eo gaudet, et commune est omnibus per charitatem, nec tamen omnes æque sunt beati, quia beatitudo non est tantum in gaudio, sed in cognitione. Potest etiam dici quod est par gaudium in omnibus non quantum ad intensionem affectus, sed quoad res de quibus erit gaudium, quia omnes de eisdem rebus gaudebunt.

Circa tertium, docet majorem gloriam futuram post iudicium, quam ante, quia et majus gaudium, ut ex Augustino dictum est. Hieronymus quoque docet, quod peracto iudicio ampliorem gloriam Deus demonstrabit electis. Si autem quæretur,

cur sit necessarium spiritibus reassumere corpora, cum sine ipsis possint beatitudine summa frui, respondetur difficilem esse quæstionem, sed tamen illam esse causam, quia carne deposita non sic possunt animæ videre Deum sicut Angeli, vel aliqua latentiori causa, vel quia ille naturalis appetitus informandi corpora non quiescit, sed retardat aliquantum, ne tota intentione pergat in Deum. Quando ergo recipiet corpus jam nona nimale, quod aggravet animam, sed spirituale, id est, perfecte sibi subjectum, tunc quiescet appetitus, et feretur tota intentione in Deum sicut Angeli, et incipiet corpus esse gloriæ quod erat sarcinæ.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, de beatitudine in communi. Primo, in quo consistat, tam ex parte objecti quam actus, de quo 1-2 q. III et V. Secundo, an omnes appetant illam, et quo appetitu, de quo 1-2 qu. V, art. VIII. Tertio, an possit intellectus videre Deum in se, de quo I p. qu. XII, ar. I et hic latissime, q. II, ar. I. Quarto, an Deus videatur per speciem creatam, de quo I p. q. XII, a. II. Quinto, an Deus comprehendatur a beatis; an unus aliis perfectius videat, de quo ibi a. VI et VII. Sexto, quærit an ex naturalibus possit Deus videri; an oculis corporalibus; an in statu viæ, de quo ibi a. XXXIV et XI. Septimo, inquit de gaudio, et delectatione, quid sit, et quas causas habeat, et de ejus bonitate, et malitia, de quo 1-2 quæst. XXXI, et seqq. Octavo, quærit de dotibus animæ gloriosæ et corporis gloriosi hic quæst. IV. Nono, de aureolis, et eorum numero, et quibus debentur hic q. V.

DISTINCTIO I.

Agit de pœna malorum. Et dividi-

tur in duas partes. In prima, agit de peccato reprobos, et tenebris exterioribus, quænam sint. In secunda, tres difficultates circa damnatos proponit, et solvit.

Circa primum, docet ex Augustino non deesse voluntatem malam in damnatis, sed habere in semalignitatis suæ supplicium, et sic peccatum cumulare in illis pœnis non desere, licet jam amplius non demereantur. Tenebras autem exteriores dicit esse omnimodam exclusionem a luce Dei, tam spirituali, quam corporali. Et quidem elongatio a luce spirituali, non est solum non videre Deum, aut in eum peccare, quod in hac vita habetur, sed ita Deum oblivisci, ut penitus non possit amplius affici ad Deum, sed solum odio habeat.

Circa secundum, prima difficultas est, an animæ quæ nunc sunt in inferno cognoscant quæ apud suos in hac vita aguntur. Respondetur ex Augustino habere aliquam curam de vivis, quos sciunt vivere, et in locis pœnalibus non vident, sicut dives in ille in evangelio habebat curam de quinque fratribus quos hic reliquerat, non tamen sciunt ea, quæ circa suos aguntur læta, vel tristia. Secunda difficultas, an se mutuo videant, qui in gloria sunt, et qui in inferno, respondetur ex D. Gregorio invicem se videre ante diem iudicii, sicut dives vidit Abraham, et Lazarum, postea autem boni videbunt malos, non e contra. An vero sancti aliqua compassione afficiantur erga reprobos, responde-

tur ita esse justitiæ Dei addictos, ut nulla ergo reprobos compassione afficiantur, et hoc est illud chaos magnum, quod firmatum est inter hos et illos scilicet justitia Dei, et iniquitas illorum, quia etsi velent ex naturali compassione non possint illos liberare ex Dei justitia. Tertia difficultas, an reprobos pœna visa a beatis eorum beatitudini officiat, vel proficiat respondetur ex Gregorio non officere, quia ad majorem gloriam vident pœnas malorum quas per Dei gratiam evaserunt juxta illud Isai. LXVI: *Egredientur (id est electi) et videbunt cadavera eorum qui prævaricati sunt in me*, non loco egrediendo, sed intelligentia, et visione, gratias agentes de sua liberatione.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, de cognitione animæ separatæ, an intelligat in illo statu, an per species quas huc defert, et quomodo singularia cognoscat, de quibus agit I p. qu. LXXXIX, per totam. Secundo, inquit de pœna damnatorum, quoad affectum, an eorum voluntas sit obstinata in malo, ita ut nullum possit velle bonum, sed continuo peccet, de quo I p. quæst. LXIV, art. III. Tertio, quoad intellectum, an possint cogitare de Deo; an utantur notitia, quam habuerunt in hoc mundo, de quo hic q. II art. II. Quarto, an sola pœna ignis affligantur, et quæ sint aliæ pœna, de quo ibi art. III. Quinto, an beati videant pœnas damnatorum, de quo art. IV.